



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XXIX. Jubilæum universale, ad implorandam divinam opem contra Turcas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

Nuncios, & alios præfatos nunc, & pro tempore existentes, sublata pariter eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præinfertis Clementis Prædecessoris Litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Cæterum volumus pariter, ut ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Octobris 1672. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XXIX. Jubilæum universale, ad implorandam divinam opem contra Turcas.

CLEMENS PAPA X.

Universis & singulis præsentis Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Inter gravissimas, multiplicisque curas, quibus ex sacrosancti Apostolatus humilitati, atque infirmitati Nostræ divinitus crediti munere assidue urgemur, illa animum Nostrum acrius, vehementiusque angit, & lancinat sollicitudo, quam de florentissimi olim Polonia Regni rebus formidabili Turcarum potentia, atque immanitate summum in discrimen adductis corde jugiter versamus. Quis enim aliquo honoris Dei zelo, atque pietatis sensu præditus in luctuosam tam potentis, tantaque rerum pro Christiana religione fortiter gestarum gloria longè, latèque fulgentis Regni faciem mentis oculos absque lacrymis conjicere possit? Quis ad gravissima, quæ universæ Christianæ Reipublicæ imminet pericula, non expavecat? Expugnata siquidem nuper Camencia, quæ infensissimorum Christiani nominis hostium impetus non semel cohibuerat, atque fregerat, immitis Turcarum Tyrannus, eo successu inflatus, pro inexplebili, qua flagrat, dominandi, imperique sui pomæria proferendi libidine, victorica arma quæcumque circumferre, Arces, Oppida, Civitates, & Provincias debellare, populos servitute opprimere, & miserandam in captivitatem abducere, ac Mahumetanæ perfidiæ abominationem vi, terrore, dolo, omnique conatu in agro Dei viventis plantare non cessat, totamque Rempublicam Christianam clade involvere molitur. Verùm exclamare licet cum Propheta: quis dedit in direptionem Jacob, & Israel vastantibus, nonne Dominus, cui peccavimus? Ita est planè, longanimum Dei patientiam proriant hominum flagitia, ejusque vindictam accersunt: nam ut subjungit idem Propheta, Noluerunt in viis ejus ambulare, nec audiverunt legem ejus, & effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum. Sed qui pius est, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, effundet in nos divitias misericordiæ suæ, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes, illasque

Causæ Jubilei.

Hanc calamitatem refert ad flagitia hominum.

dignis pœnitentiæ fructibus expiare satagentes, offeramus ei cordis contriti holocausta, & orationes Nostras jejuniorum, atque elemosynarum viribus roboratas, tanquam incensum super altare ejus adoleamus in odorem suavitatis.

§. 1. Hoc itaque unanimi charitatis fervore agamus omnes, Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis concorditer invocemus, ut Dominator exercituum qui conterit bella ab initio, erigat brachium suum sicut ab initio, & allidat virtutem inimicorum Nostrorum virtute sua. Et qui facit pacem in sublimibus, ille fideles suos fortiter vinciat concordie nexu, & induat fortitudine, quæ de celo est, ut hostes Nostros, qui in multitudine contumaci, & superbia venientes hæreditatem Dei Nostri delere satagunt, protegente Domino, in cujus manu est salvare in multis, & in paucis, dissipent, & disperdant, atque à Christianorum cervicibus longè repellant, quæ ut fructuosius, majorique spiritus ardore peragantur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ, omnium matris, & magistræ more cœlestium gratiarum thesauros, quorum dispensationem Nobis commisit Deus in præsentibus necessitatibus aperire, & liberali manu erogare decrevimus.

§. 2. Igitur ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles tam in Alma Urbe Nostra, quam extra eam ubicumque locorum constitutos Apostolica auctoritate paterne requirimus, monemus, & hortamur ad infrascripta devotè peragendum, ac ad Deum Salvatorem Nostrum toto corde orandum, ut per viscera misericordiæ suæ religionem Christianam, fidemque Catholicam tueri, & protegere, nefariorumque illius hostium Turcarum impetus reprimere, vires conterere, & consilia dissipare, Polonorum animos dissidiis distractos reconciliare, ac in pristina charitatis, atque unionis compagem restituere, Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare, & firmiter solidare, eorumque vires, & consilia ad tutelam Christiani nominis, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltationem unire, augere, firmisque prædiis munire, ac piis omnium Nostrorum laboribus, atque conatibus felices successus largiri dignetur.

§. 3. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa ligandi, & solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma Urbe Nostra degentibus, qui solempni processioni, quam aliqua die proximè venturæ hebdomadæ ab Ecclesia S. Mariæ supra Minervam ad Ecclesiam S. Stanislai nationis Polonorum de eadem Urbe, una cum venerabilibus fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælati quoque, & Officialibus ejusdem Curie, universonum Clero, & populo benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris Ecclesiam, seu Basilicam, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Do-

Decernit nostris orationibus cœlestem Theaurum Indulgentiarum aperire.

Monet fideles ad orandum.

Requisita ad Jubileum pro existentibus in Urbe.

minica die immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: ceteris vero extra Urbem prædictam ubicunque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam literæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendâ, decursuram saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam sanctissima communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam elemosynam, ut præmittitur, erogaverint; plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & largimur.

§. 4. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua se se domicilia receperint, superscriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant.

§. 5. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam Ecclesiasticis Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis, à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogari possit, eaque injungere, quæ ipsi penitentes efficere poterint, pariter concedimus, & indulgemus.

§. 6. Insuper omnibus, & singulis Christianis utriusque sexus tam laicis, quam Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti tam in Urbe prædicta, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut ipsi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris, à jure, vel ab homine quavis causa laicis, seu inflicis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliis per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare, valeant.

§. 7. Et insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eo-

rum cuilibet in supradictis omnibus casibus penitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

§. 8. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatibus, ac quibuscumque Ordinariis locorum, ubicunque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præsentium Litterarum transumpta, aut exempla, impresse, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

§. 9. Non intendimus autem per præsentia super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quocummodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentia iis qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælatore, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interditi, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

§. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore esistenti reservatis, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessionem, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regula Nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, & quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis.

§. 11. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice dumtaxat specialiter, nominatim, & expressè ad effectum præmissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Ut autem præsentia Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Novembris 1672. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Concessio pro navigantibus, & iter agentibus.

Et monialibus.

Absolutio à censuris, etiam in Bulla Cœnæ Domini.

Derogatio contrariorum.

Fides transumptorum.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo, Indictione decima, die vero 5. mensis Novembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Clementis divina Providentia Papa X. anno ejus tertio supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranen. Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, ac in atriæ Campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Gregorium Stagginum Sanctiss. D. N. Papæ Curs. Carolus Franciscinus Mag. Cursor.

XXX.

Declaratio incurfus in excommunicationem, & anathema, aliasque pœnas canonicas, ac Excommunicatio, & Anathema illorum qui nefariè vulnerarunt R. P. D. Jacobum Patriarcham Antiochenum, eorumque complicum &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Casus, & locus vulnerationis.

CUM sicut non sine gravissima animi nostri perturbatione accepimus, Venerabilis Frater Jacobus Patriarcha Antiochenus die ultima Novembris proximè præteriti circa primam noctis horam, dum per viam Juliam nuncupatam hujus Almæ Urbis nostræ rheda sua domum revertebatur, à nonnullis iniquitatis filiis, qui ad præsens ignorantur, uno, seu pluribus archibus jaculatus nefarie petitus, & gravissime, lethaliterque vulneratus fuerit.

§. 1. Nos crimen adeo horrendum, atque execrandum, & quod Nos sui atrocitate confudit, & pœnis per sacros Canones, Conciliorum generalium decreta, & Constitutiones Apostolicas inflictis, & promulgatis pro officii Nostri debito vindicare, & punire volentes; Ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra omnes, & singulos, qui nefarium facinus præfatum in personam dicti Jacobi Patriarchæ commiserunt, aut illud fieri mandaverunt; seu factum ab aliis ratum habuerunt, vel socii in hoc fuerunt facientium, aut consilium, auxilium, vel favorem illis dederunt, seu illos scienter defenserunt, vel receptaverunt, aut in futurum defenserunt, vel receptaverunt, & generaliter quoscunque tam detestandi sceleris quomodolibet complices, & culpabiles, cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, præminentiae, & dignitatis, sive Ecclesiasticæ, sive secularis, etiam specialem, & individuum expressionem requirentis, existant, anathematis, & excommunicationis majoris, aliasque pœnas quascunque à sacris Canonibus, Conciliorum generalium decretis, & Constitutionibus Apostolicis & speciatim illa quotannis in die Cœnæ Domini legi solita inflictas eo ipso damnabiliter incurrisse tenore præsentium declaramus, ipsosque, & eorum quemlibet, & quoscunque scientiam de prædictis delinquentibus habentes, & non revelantes anathematizamus, & excommunicamus, ac anathematizatos, & excommunicatos publicamus, & nunciamus. Ab excommunicationis autem, & anathematis hujusmodi sententiis nemo prædictorum per alium, etiam majorem Sedis Apostolicæ Penitentiarium, quam Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem (præterquam in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præfata, atque cum reincidentia

eo ipso quo convaluerint) etiam vigore, seu prætextu Jubilei Anni Sancti, Cruciatæ sanctæ aliorumque Jubileorum, Indulgentiarum, indultorum, facultatum, & privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscunque Ecclesiasticis secularibus, & quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & locis piis, necnon laicis, etiam Regali, Ducali, & alia munda præcellentia fulgentibus, per Nos, & Sedem Apostolicam, ac cujusvis Concilii decreta verbo, Litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & etiam pluries innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum, absolvi possint.

§. 2. Et quia major erit ipsorum confusio quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem præstiterint, & absolutio- nis beneficium, ut supra, se obtinuisse doceant; omnium, & singulorum Urbis præfata, ejusque districtus Basilicarum, ac Collegiatarum, Parochialium, cæterarumque tam secularium, quam regularium, virorum tamen Ecclesiarum respectivè Capitulis, Rectoribus, Conventibus, Collegiis, Superioribus, & aliis quibusvis Administratoribus, seu alias quomodolibet earum curam gerentibus, necnon omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis ubilibet constitutis per easdem præsentibus committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut Capitula quidem, Rectores, Conventus, Collegia, Superiores, Administratores, & Ecclesiarum curam gerentes præfati in eisdem Basilicis, & Ecclesiis Urbis, dicti verò Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & locorum Ordinarii per se, vel alium, seu alios per omnes Civitatum, & Diocesium suarum Ecclesias respectivè quibuslibet diebus Dominicis, & festivis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenit, pulsatis campanis, & candelis accensis, prædictos sic excommunicatos, & anathematizatos solemniter publicent, seu publicari curent, & faciant.

§. 3. Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui absolutio- nis beneficium impendere de facto præsumperint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

§. 4. Decernentes præsentibus Litteras, etiam ex eo quod prædicti, & quicumque alii in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quopiam quantumvis substantiali defectu, vel ex quacunque alia causa, occasione, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, notari, impugnari, invalidari, redargui, seu rescindi, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu proprio concessio quampiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullo unquam tempore posse. Sicque & non aliter in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causa-

Nullibi absolvi.

rum